



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De Caroli Martelli sacris victoriis, praecipuè duabus contra Sarracenos.  
Cap. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

nem deleti, vti ab historiis Francorum memoria traditum est.

Fuit postremò Pipini sacrum contra Regis Theodorici tyrannidem bellum. De quo breuiter Sigebertus scribit ad annum 100. xci. Pipinus sibi Neustriam subiugat, & sub Theodorico Rege toti regno principando statum rerum meliorat: sanctum quoque Lambertum in Traiectensi præfulatu relocat. Et Stephanus Abbas: Pipinus multa præclara bella gerens, de omnibus fortiter triumphauit, ipsumque Regem Francorum Theodoricum bello superans in fugam vertit. Sed & B. Lambertum, factione iniquorum de Episcopatu deiectum, in cathedra sua decensissimè collocauit.

*De CAROLI MARTELLI sacris victoriis, præcipuè duabus contra Sarracenos.*

## C A P. X.

**P**IPINVS Princeps obiit, ait Sigebertus, v. Brabantie Dux. anno 1000. xiv. & filium suum ex Alpaide, Carolum Tuditem siue Martellum cognomento, principatus sui hæredem reliquit. Accepit autem hæc cognomina, quia hostes quasi martello contundere videbatur. Ipse enim antiquas patrum victorias excedens, mirabiles triūphos de Ducibus ac Regibus, de populis & barbaris nationibus reportauit.

Consecutus est autem perpetuam & immortalem laudem, ex victoriis contra Sarracenos, quos duobus bellis planè contriuit: de  
qui-

quibus breuiter scribit Eginhartus in vita Caroli Magni: Carolus Sarracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis præliis, vno in Aquitania ad Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Byrram fluuium, ita deuicit, vt in Hispaniam eos redire compelleret. Sed de his duobus bellis paullo fufius differamus.

Intra centum annorum spatium, Mahometh & successores eius, qui Sarraceni & Agareni nuncupantur, potiti sunt Arabia, Palæstina, Syria, Persia, Ægypto, Africa. Traiecerunt quoque ex Africa in Hispaniam; quam cum decem annos tenuissent, in Galliam vsque ad Turones permulta milia Sarracenorum penetrarunt. Eos primùm in Galliam duxit Abdiramus Rex, quem Eudo Westgottus Aquitanix Dominus contra Francos euocarat, iamque Burdegalam vi abs sese captam Sarraceni diripuerant, & ad Turones vsque, magna passim Christianorum multitudine trucidata, peruenerant. Versabatur in summo discrimine non Gallia modò, verùm & Italia quoque ipsa. Itaque Carolus Martellus, Brabantix dux, relicta expeditione Saxonica, & bello Frisiaco, robur regni Francici contra Sarracenos ducit. Clàm etiam ab Eudone petit, ne Christianum nomen in Europa deleri sinat, eumque monet, vt, relicta Sarracenorum societate, cum Francico sese exercitu coniungat. Prælio

lio itaque commisso vincit, Deo iuuante, Caroli Martelli exercitus, totaque illa Sarracenum multitudo trucidatur. Perit eo bello Rex Abdiramus. Breuiter post alios de hac victoria Sigebertus scribit, ad annum Domini 1000. xxx. Sarraceni cum omnibus familiis suis, quasi in Gallis habitaturi, Garumnam transeunt, omnia deuastant, ecclesias Dei cremant. Quibus Carolus Dei auxilio fretus bello concurrat, & ex eis trecenta octuaginta quinque millia cum Rege suo Abdiramo peremit, & mille quingentos suorum amisit. Hac tanta clade accepta, Sarraceni nondum tamen conquiescere potuerunt. Nam aliquanto post rursus ex Hispaniis duo ingentes exercitus in Galliam effusi sunt, freti societate Westgotthorum in Aquitania & Narbonensi Gallia regnantium. Itaque Athimus Sarracenorum Rex cum instructissima classe Galliam Narbonensem inuasit, & Auinionem subita vi cepit, eamque ciuitatem belli caput fecit. Hanc obsidione cinctam rursus Carolus Martellus magna cum difficultate expugnatam recipit, & Sarracenos magno numero partim trucidatos expellit. Athimus Rex assumpta copiarum parte in naues fugiens, Narbonam delatus est. Quam cum Martellus obsideret, alter Sarracenorum Rex Amorraeus, ut obsessis opem ferret, ex Hispaniis venit. Properat Carolus, hoc agens ne hostium vires coniungerentur,

tur,

tur, & in valle Carbona ad Byrram fluvium cum Sarracenis dimicat. Ibi inter primos occiso Amorreō, perculsa Regis morte acies fugam instituit: itaque totus hostium exercitus partim à flumine absorptus, partim trucidatus periit. Cognita Amorræi clade, Rex Athimus relicta Narbona, ac præda ex vicinis Ligurum insulis acta, in Hispaniam reuersus est. Narbonam Carolus, ne Westgoti noua inde bella molirentur, deleuit. Fracti tot cladibus Sarraceni, qui se Gallia & Italia potituros sperarant, intra Pyrenæos deinceps sese montes continuerunt. Equidem existimo, nec vtilius, nec difficilius post id tempus bellum aliquod gestum fuisse: neque enim à Galliarum vastatione prohibiti sunt Sarraceni, sed omnem propagandæ Mahumeticæ impietatis in reliquam Europam spem prorsus amiserunt. Quid autem melius à bello sperari possit, quam simul tot ciuium corpora, tot Christianorum familias defendi, atque ab impiissimis blasphemis posteritatem omnem vindicari? Neque verò parum Hispaniæ utilis ista Caroli victoria fuit. Christianorum namque reliquiæ ex Gothica gente superstites, quæ horridiora regni loca Pyrenæis montibus vicina, Cantabriam & Asturiã adhuc incolebant, paullatim inde progressæ, ac Sarracenis domitis Hispaniã recuperauerunt. Atq. ex hisce reliquiis Gothicis orta est stirps proximorū Regū Hispanicorū.

Alias

Alias præterea sacras victorias obtinuit Carolus contra Gallicos quosdam Duces qui Sarracenos euocauerant. De quibus ita Sigebertus, Anno, inquit, 1000. XXI. X. Eudo Dux Carolo per omnia inferior Sarracenos contra eum inuitat ab Hispania. Anno 1000. XXXII. in Vasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu & vita priuat. Anno sequenti, Vaifero & Hunaldo filiis Eudonis in dimicando victis, Aquitaniam sibi subiugat. Anno 1000. XXXIX. Mauritium prouinciæ Ducem, qui inuitauerat Sarracenos, debellat, & prouinciam sibi subiugat. Anno 1000. XXXI. Lugduno aliisque ciuitatibus captis, Burgundiam sibi totam subiicit.

Sed nec minora in Germaniis præstitit, de quibus grata breuitate in eiusdem Sigeberti chronico legitur: Carolus anno 1000. XXIII. Saxones debellat. Anno 1000. XXIV. Baioarios armis subiugat. Anno 1000. XXV. contra Lanfridum Alemannorum Ducem dimicat: eoque victo, Alemanniam sibi subiugat. Anno 1000. XXVII. Saxones, Sueuos, & Baioarios debellat. Anno 1000. XXXIV. Frisiam aggressus, Poponem Ducem Frisonum cum multis perimit, & Frisiam sibi subiugat. Anno 1000. XL. Saxones tributarios sibi facit.

Tanta demum fuit huius Principis auctoritas, vt cum Luitprandus Rex Longobardorum urbem Romanam obsideret, & Romanus Pontifex auxilium contra eum peteret,

B

Carolus

Carolus Martellus missa tantum ad Luitprandum legatione hoc effecerit, ut Longobardus, soluta obsidione, cum Pontifice pacem iniret. Quae de re ita scriptum est apud *Anno 739.* Carolum Sigonium, l. 3. de regno Italiae: Gregorius Pontifex legatos maritimo itinere ad Carolum Proregem destinavit, obtestans ut sibi atque affectis Ecclesiae rebus succurreret, & obsidione Longobardorum urbem eximeret. Carolus, quanto ea res honori & Regi & sibi futura esset intelligens, legatos liberalissimè excepit; & foedere cum Ecclesia iuncto, extemplo eos cum suis remisit, datis muneribus quae Pontifici redderent, & mandatis quae ad Luitprandum super Romano bello deferrent. Grata Luitprando ea legatio fuit; Caroloque petenti ut Romana ditione sine maleficio cederet, haud gravatè concessit.

Decessit è vita Martellus cum paternam dignitatem annis viginti sex tenuisset, anno Christi 1000. xli. sepultus inter Reges Francos, in aede S. Dionysij. Sepulcro additum est Epitaphium:

*Iste Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,*

*Malleus in mundo specialis Christicolarum,  
Dux, dominusq; Ducum, Regum quoque Rex  
fore spernit.*

*Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.*

*De*